

Toletanus, qui divina revelatione commonitus, ut ibi narratur, corpora SS. martyrum reperit. Simili de causa hallucinatum existimo Notkerum, qui cum in uno aliquo volumine Gennadium et Ildefonsum Toletanum antistitem de Vir. illustrib. vidisset, in suo libro de Vir. illustr. *Gennadium Toletanum episcopum* bis dixit, scilicet cap. 7 et 11, 722 quem post S. Hieronymum de hoc argumento egisse affirmat,

In illa facta mentione Isidori et Ildefonsi, quem unum episcopi Toletani nomine appellare debuit. Ita etiam Petrus Crinitus quod lib. v de Poet. Lat., cap. 90, ait Isidorum testari, Prudentium in Latinis litteris magna diligentia parique studio institutum, Gennadium fortasse voluit appellare, non Isidorum. De Orosii Vita, quae Isidoro tribuitur, paulo ante dixi, cum Codd. mss. indicavi.

Monitum.

Cum liber Isidori de Vir. illustr. in eo systemate quod tenere constitui ultimus sit inter genuina ac certa ejus opera, et cum primus hic tomus justam mensuram jam impleverit, ea quae de operibus dubiis aut suspectis supersunt descendere ad alterum tonum necesse est reservare: in quo scilicet, praeter disputationes de multis aliis levioris momenti lucubrationibus, enucleatus agam de antiquitate et versione Bibliorum Gothicorum, de liturgia Gothica, de collectione genuina Hispana sacrorum canonum, et altera spuria Pseudo-Isidoriana, necnon de Codice legum Wisigothorum. In his enim omnibus et magnam partem habuisse Isidorum plerique credunt, et quamnam habuerit operae pretium erit investigare. Neque a meis Isidorianis abesse velim diligentem et accuratam receptionem Codicum bibliothecæ Vaticanae supra centum septuaginta, praeter alios aliarum Urbis bibliothecarum quibus I.-idori Opera continentur. Id enim, praeterquam quod historicæ litterarie nonnullam utilitatem afferre potest, in Isidori gloriam quodammodo cedit, et ad ejus scripta illustranda plurimum consert.

